JANI PLANCI ARIMINENSIS DE DUPLICI HOLOTHURII GENERE, ET DE MANU MARINA AD PIUM...

Giovanni Bianchi

Digitized by Google

probentur, ut edantur cures. Aequum enim erat poſt Tethya, quaedam etiam de Holothuriis dicere, quae corpora marina item ſunt, ut priora, & quae mediam quamdam naturam, ut ipſa inter Plantas, & Animalia obtinent, ut Zoophyta a Grecis nuncupentur. In hoc tantum differunt ſecunda, de quibus modo ago, a primis, Ariſtotele, & Rondeletio adnotante, quod haec quidem corpora quaedam calloſa ſint, & ſoluta natent, ut Vertibula a Theodoro Gaza non inepte dicantur; Illa vero ſemper ad ſcopulos, & ad res alias duras, & immobiliter haerentia maneant. Inter Holothuria principem locum habere videntur Pennarum genus, quae Mentulae alatae dicuntur, quaeque libere, ut Piſces, Alis ſuis, ſeu Pinnis per Mare vagantur. Haec incognita non fuerunt priſcis Hiſtoriae naturalis Cultoribus, & praeſertim Rondeletio, qui capite vigeſimo quarto de Inſectis, & Zoophytis, primum Pennarum marinarum genus deſcripſit, & Mentulam alatam a Piſcatoribus ſuis vocitari ait; ſed honeſtiori vocabulo a Piſcatoribus noſtris appellatur, qui eam Caryophylli nomine donant. Eam deſcripſit etiam Bohadſchius Boemus libro anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo primo Dreſdae edito, & in quatuor ſpecies eam dividit, ſeu frangit; & ejuſdem quatuor figuras dat, duas in Tabula VIII. & duas in Tabula IX. ſed varietates videntur unius & ejuſdem rei, ut ego expertus ſum in variis, quae prout exſiccantur, vel putreſcunt forma variare videntur. Sed quam exſiccatam, & dejectam pingit ſub numero V. Tab. VIII. non ad Pennam majorem ſpectat, ſed ad minorem, de qua inferius. Rondeletius, & Bohadſchius de figura tantum externa hujus corporis ſolliciti fuere, quam Rondeletius ſatis rudem dedit, rudes item ſunt Bohadſchii, praeſertim tres priores, quarta vero paullo eſt ornatior, ſed meliores ſunt, & ſecundum naturam quae in fine a me deſcribentur una cum earum anatome. Rondeletius opinatus eſt Rugas, quae in hujuſmodi Pennis obſoletis praeſertim cernuntur in corpore earum implume, quod laeve omnino eſt in recentibus, eſſe veluti earum Branchias, ut ſunt in Piſcibus, quibus

Branchiis

Digitized by Google

Branchiis reſpirare videntur, ſed Branchiae non ſunt, ſed merae Rugae ſunt, & plerunque imperviae; de earum ſtructura interna Rondeletius omnino ſilet, & Bohadſchius admodum parce loquitur.

Quare earum figuram, internamque ſtructuram paullo uberius deſcribamus, & hoc pacto utrumque deſcriptione ſingularum figurarum, partiumque earum clare patebit.

Figura igitur I. ſub Littera A. exhibet Pennam majorem pronam, in cujus parte extrema laevi, & non pennata ſunt ad a. a. octo plerumque foraminula exigua, ut in Cauda Scorpionum, totidemque in Apice c. Si corpus digitis prematur extillat ex iis foraminibus liquor ſubflavus inſtar Colloſtri, quod ex Papillis Foeminarum extillat, quae recenter pepererunt; verſus collum ejuſdem corporis duo alia foraminula oblonga ſunt ad b....b. quod collum preſſum quoque digitis eumdem laticem ſubflavum eructat. Rimae omnes ad d....d. quas Branchias dixit Rondeletius, ſunt ſimplices Rugae imperviae omnes. Si aliqua vi ſpecillus introducatur in Apicem c. & canaliculo aer inſuffletur totum corpus implume inflatur, eligatum remanet tale. Specilli, & Setae introduci poſſunt uſque ad extremitatem implumem, ſeu uſque ad Apicem dorſi Pennae, & varias iſtas Pennas vel inflatas, vel cum Specillis exſiccatas adſervo. Quare apparet ad Foraminula Valvulas adeſſe, quae non permittunt flatum exire ex inflatis Pennis.

Figura II. Pennam exhibet ſupinam, & diſſectam, ſed in ejus ventre non ſunt inteſtina, ſed tantum fibrae muſculoſae longitudinales. Verſus extremitatem c. incipit os durum, & recurvum in utraque parte, quod longitudine quatuor quintas partes occupat dorſi Pennae implumis.

Figura III. exhibet figuram ejuſdem oſſis B. cujus apex recurvus eſt in utraque parte, ſed in parte extrema ad B. unicam curvaturam habet, in parte vero A. ad apicem dorſi Pennae duas curvaturas, ſeu plicas habet.

Figura IV. Exhibet unam ex Alis Pennae, ut melius

Digitized by Google

cernatur ejus Structura. Hujuſmodi Alae ſpinoſae admodum ſunt, & ſpina acuta ſunt, quae facile in attrectantium carnes infiguntur, oſſae ſunt, ſed fragiles admodum, ut facile in Penna exſiccata obliterentur n. n. n. Sunt Spina implantata omnia in muſculo m.

In Figura V. & VI. ſunt Pennae minoris imagines, quarum deſcriptionem non adjungo. Eam enim dedi in Appendice Libri mei *de Conchis minus notis* ſub nomine Pennae Marinae, ſeu Mentulae alatae minoris Cap. XVIII. Hic tantum animadvertas velim, quae eſt ſub Fig. V. Littera D. & e. repraeſentare Pennam minorem integram, & ſupinam, in qua Alae pulcherrimi Amaranthi coloris ſunt infectae & foliaceae ſunt, & Spinis carentes. In Fig. VI. Penna eſt prona, & diſſecta in dorſo cum oſſe, quod ad apicem Alarum pertingit, quod in Penna majori non accidit. Preterea Penna major eſt ſemper valde infecta muco, qui odorem ingratum ſpirat, qui odor non piſculentus eſt, ſed veluti herbae putreſcentis. Penna minor nullum ingratum odorem ſpirat, licet viſcoſa aliquantulum ſit & ipſa in ſuis Alis. Pennae majores plerumque viridis coloris ſunt, & ad nigrum vergentis. Earum aliquae interdum ſunt albicantes, ex quibus coloribus duas, vel tres ſpecies confinxit Bohadſchius, ſed merae varietates videntur, ut opinor.

Venio ad Manum marinam, quam in parte poſtrema ſuperioris Epiſtolae ad Te deſcripſeram, cujus Manus plura exemplaria allata ad me fuere elapſo Octobri, & initio Hyemis, quae recentia, & ſucci plena erant omnia. Examinavi iterum diligentius partem illam, quam tunc Florem vocavi, quam exterius cognovi talem eſſe, qualem tunc deſcripſeram, ſed quos Apices vocavi litteris a. a. a. in Figura VII. quam heic adjungo, perſpexi nihil aliud eſſe, niſi materiam quamdam gelatinoſam, & in a. medio vidi eſſe veluti parvum os Animantis; materia illa gelatinoſa eſt ſubalbida. Reliquum Corpus in ſex Cylindros eſt diſtinctum, ut dixi in altera

Epiſtola

Digitized by Google

Epiſtola, coloris flavi cum quibuſdam maculis auran-tii coloris undatim diſpoſitis, opus phrygium, punctum gallicum dictum, referentibus. In. b. b. eſt Corpus pellucidum latice ſubalbido refertum, intra quod pendent corpora duo c.c. pellucida & alba; in d. b. eſt labrum ex quo ſi Palma comprimatur profilit univerſum corpus a. d. Quare cum Linnaeanis hoc corpus potius Tentacula erit appellandum, quam Flos, quod tamen Corpus, poſtquam compreſſione profiluit, non amplius in ſuam thecam redit. Ad Faunae Regnum revocabimus Manum hanc, & a Florae dominatu erit avulſa. Vale Datis Arimino Nonis Maiis Anno a Chriſto nato CIƆIƆCCLXIV.

Digitized by Google

JANI PLANCI

APPENDIX

AD EPISTOLAM SECUNDAM

AD

PIUM JANNELLIUM

OBſignata jam Epiſtola, & Senas tranſmiſſa, ecce mihi dono adfertur Liber duobus Tomis in Quarto, ut ajunt, Ratisbonae anno elapſo a Jacobo Chriſtiano Schaeffero Amico noſtro editus, in quo Libro Germanice conſcripto Obſervationes variae continentur circa Inſecta, & Tabula III. coloribus picta reperitur Manus haec aquatica, Aquaticam modo eam appello, quum Manus iſta Schaeffero non marina, ſed fluviatilis ſit, quae tamen eadem eſt ac noſtra marina. Ipſe quoque eam ad Faunae Regnum amandat, & a Regno Florae expungit. Adfertur quoque paulo poſt Folium XVII. pro Octobri menſe anni elapſi Ephemeridum Venetarum, quae a Franciſco Griſelino Pictore, eruditulo homine, conſcribuntur, quae continent Res ad Hiſtoriam Naturae, ad Agriculturam, & ad Artes alias ſpectantes, in quo Folio ait Griſelinus Guidonem Vium Monachum Camaldulenſem Amicum noſtrum, & Philoſophiae Doctorem in Coenobio Divi Matthiae Murani, Obſervationes item inſtituiſſe circa Apices, ſeu Cylindros Manus marinae, quam Zoophy-

tum & ipſe putat, ſed Cylindros illos non ſex tantum eſſe in quolibet faſciculo, ut in noſtris, quemadmodum ſaepe una cum Battarra noſtro obſervavi, ſed octo. Schaefferus plura exempla illorum faſciculorum adfert, quorum aliqui ſex Cylindros, ut noſtrae Manus continent, ſed aliqui ſeptem, & aliqui uſque ad novem Cylindros oſtendunt una colligatos. Vitio mihi vertit multis, & ſatis inofficioſe quidem Griſelinus ille, quod Cylindros in priori Epiſtola pro Apicibus Florum acceperim, & Corpus illud totum Manum referens non inter Animalia, ſeu, ut ipſe ruditer loquitur, non inter Polyparia retulerim. Sed ſi edita fuiſſet tempore debito, & eo quo ſcripſerim, Epiſtola haec, ceſſaſſet illico, ſaltem in parte inofficioſa illa Griſelini Querela, quod Zoophyton hoc una cum Marſilio ſuo, reliquiſque Botanicis ad Plantas retulerim. Non ceſſaſſet vero omnino, nam inter Polypos quidem, ſeu inter Polyparia ſua, non refero; refero autem una cum Bohadſchio inter Zoophyta, quae plura Tentacula, ut ajunt, ſeu plura Ora, vel Capita, velut Hydra altera, poſſideat. Iterum vale. Sed ubi valebis modo, Jannelle Cariſſime, apud Elyſios, uti ſpero, qui interim Fatis, heu dira Lex Hominum, ceſſiſti! Vale igitur, & noſtri, vel inter Beatas Sedes immemor ne eſto. Datis Arminio a. d. III. Kalendas Quintilias Anno a Chriſto nato CIƆIƆCCLXV.

89837576
Digitized by Google

Digitized by Google



Fig. VI



Fig. II

Digitized by Google

Digitized by Google